

Q. D. B. V.

ZITTAVIENSIVM PIETAS

VIRO

*Summè Reverendo Magnifico & Excellentissimo*

**DN. GOTTLOB-FRIDERICO SELIGMANNO,**

SS. Theol. Doct. celeberrimo, haectenus apud Lipsienses Professori, Pastori, Consistoriali undiqvq; meritissimo;

Nunc

Vocato IN AULAM SAXONICAM REGIO-ELECTORALEM

Antistiti Sacrorum Primario, & Consiliario Ecclesiastico.

Sub ipsum


Splendidissimæ Functionis ingressum

*anno præcipite M DCCVII.*

venerabundum suum exsolvit officium,

interprete

Christiano Weisio, Gymn. Zitt. Rect.



ZITTAVIÆ,

Typis Michëlis Hartmanni.



Ita fata SELIGMANNORUM sese tandem explicant. Beatiq; ZACHARIÆ preces, quas ad apicem pervenisse credebamus, nunc ad ulteriora tendunt. Satis beatum se PATER existimabat, si PRIMOGENITUM in Patria fore sciret Consullem; ALTERUM in quavis Ephoria non obscurum. Ast ubi videmus ILLUM illustribus in Aula ministeriis inclytum; HUNC summi Præfulis caractere fulgentem: quid nisi gratiam Numinis prorsus extraordinariâ Splendidissimæ Familiæ gratulamur. Gaudeamus PARENTI, gaudeamus PATRIÆ, gaudeamus Amicis. Vir benemeritus vel in sepulchro præmium invenit. Patria novis Exemplis ornata, posteritati destinat novum virtutis ac sedulitatis pabulum. Amici minores, qui successum fuerunt aut spectatores, aut testes, suis omnibus DEUM adspirasse lætantur.

Video quid exigat veritas: nec ignoro quid sublimis Eorum concedat modestia. Deus evexit, quos Bono Publico Natos cognovit. Interim id assequuntur, in eminentiore suo gradu, quod hominum oculis admirationem, diversis admirantium animis, vel applausum vel invidiam extorqueat: Ipsis sub concatenata laborum mole, non invidiam sed misericordiam promerentibus. Etenim DEUS, quos tantis honoribus coronavit, velut publicæ salutis voluit esse victimas, ut aliis inserviando consumantur.

Ac ut Te potissimum alloquar, PRÆSULE eminentissime, Lipsia quietem indulserat, cui tandem immori beatum videbatur. Utramq; cathedram studiis parum molestis suaviter ornabas. Amorem suum hinc conferebant Nobilissimi Auditores; illinc e numero Procerum ac Civium optimi. Quin & tenerrimum solatium fovebat PIPPINGIANORUM ac FRISIANORUM conversatio: ut in ædibus quondam Carpzovianis non dissimilem expectares catastrophem. Nunc Carpzov-

viana Te quidem excipiet habitatio: quæ tamen ve-  
reor, ne valetudini, ne consuetudini, ne conscientia  
majorem allatura sit molem. In Ecclesiae specula vi-  
gilandum est. turbulentorum insultus vel inertes exci-  
piendi. Quin & ipse PRINCEPS JUVENTUTIS,  
quàm DEO futurus sit gratus, a Tua pietate speran-  
dum est. Unum hoc CAPUT si nominemus, omnia  
diximus, quæ spem, salutem, recreationem SA X O-  
NIÆ comprehendunt. Nescivissemus heroicam Tuam  
virtutem, nisi nunc specimen exigereetur heroicū. Pro-  
inde nemo pensa sua judicat e qualicunq; comodo, sed  
e talento: seu ut clarius loquar, e DOMINI VOCAN-  
TIS arbitrio. Vivit adhuc DEUS, quo jubente Moses pro-  
babat solertiam, Aaron eloquentiam. Spiritus nondum  
suis caret flammis, quo minus dare velit in horis decre-  
toriis, quid sis locuturus. Quanto cum tremore Dres-  
dam olim adspexit LYSERUS, cujus tamen ut in Te  
spiritus requiescat, precor. Quem lapidem non move-  
bat in comparabilis ædium Tuarū hospes GEIERUS,  
ne Lipsiensi careret sepulchro? qui tamē victus Jeremiæ  
fortilegio: AD OMNIA QVO MITTAM TE, IBIS, tantæ  
functioni non animum modo, sed successum quoq; fe-  
liciter intulit. Hanc sortem Tibi simul infusurratam ar-  
bitreris, ut Tecum redeat, LYSERI facundia, HOEI  
gravitas, WELLERI sanctitas, GEIERI mansuetudo,  
Reliqvorum SUCCESSORUM ipsiusq; CARPZO-  
VII circumspectio. Qvos singulos sin minus superare  
queas annis; ut meritis exæquare liceat, ominamur.  
Neq; Lipsia Tuam discedentis pietatem remorabitur.  
Præsentio rem Te venerabuntur beneficiis, quàm an-  
tea sermonibus: Tuisq; precibus & consiliis illi gau-  
debunt propius, qui velut absentem aliquando sunt de-  
sideraturi.

Sed talia loquantur doctiores, prudentiores, con-  
junctiores Applaudent Academiae, quarum interest  
nunquam moveri Religionis Palladium. Venas suas

ape-

aperient fontium sacrorum custodes. Quibus ego minor, pro modulis meis, intra nostram conquiesco Zittaviam. Magis Ea de Filio gaudet, quam si victorem recepisset Olympicum. Gratulatur Gymnasio, quod fundamentis instruere potuit juvenem, unde Virum excitatum fuisse cognoscit, vel suis votis illustriorem. Jactitant Veteres Petrum de Sittavia, Cisterciensem apud Königsalenses Prælatum, scriptis chronicis adhuc celebrem. Hofemannus Laubanensis, pro sua liberalitate, fabulam nobis obtrudere voluit, de Friderico quodam, qui Zittaviæ natus, factus esset Archiepiscopus Salisburgensis. Veriora forte sunt, Andreæ Masci, Rectoris olim nostri, consobrinum fuisse Martinum Episcopum Vratislaviensem ac ante Rudolphi II. Imperatoris informatorem. Interim nobis sufficiat, eo gradu collocatum fuisse Zittaviensem, quo sublimiorem in Ecclesiis nostris non desideramus. Prima fuit inter Lusatos hæc ipsa civitas, quæ Lutheri fidem annis abhinc 187. amplecteretur. Habeat igitur suam gloriam, ut istius fidei cernat Primatem: quem DEUS servare velit, donec in templis nostris secularem celebrare memoriam liceat.

Expendat noster populus, cur Parentes dici Te voluerint GOTTLOBUM, qui variam celebrandi DEI materiam esses suppeditaturus; cur FRIDERICUM, qui velut Angelus pacis, Natalitium hoc nuncium esses allaturus. Faxit divina potestas, ut post innumeros timorum, periculorum, querelarum insultus, ea repetere possis, quæ post Pacem Osnabrugico-Norimbergensem devotis omnium auribus excipiebantur. Ego sanè tot annorum vigiliis & fastidiis defunctus, ut in pace dimittar, voveo. Morientis tamen hoc fuerit solatium, oculos meos vidisse, quod animus jamdudum promiserat. Quod reliquum est, DOMINUS CUSTODIAT INTROITUM ET EXITUM TUUM, EX HOC NUNC ET USQ; IN SECULA. Sic SELIGMANNIANIS semper gratulabuntur WEISIANI.

